

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5320

Auteur(s) : Gautier, official, Cotentin (archidiacre)

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1280

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Gautier, official et archidiacre du Cotentin, ratifie l'acquisition des dîmes de Bretteville-en-Saire par le chapitre de Coutances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 50, p. 160-162.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris, officialis curie, Galterus, archidiaconus de Costentino, in ecclesia Constantiensi, salutem in Domino. Noveritis quod, comparentibus coram nobis Johanne dicto l'Angevin primogenito, Johanne et Thoma fratribus ejus, Guillelmo dicto le Fae, Guillelma et Nicholaa, dictorum Johannis et Johannis ac Guillelmi uxoribus, Constantiensis diocesis, cum auctoritate maritorum suorum sibi prestita coram nobis, quoad ea que secuntur dicte uxores spontanne recognoverunt, ac dictus Thomas et mariti predictarum uxorum, se, de communi assensu et voluntate ipsorum, vendidisse, concessisse et dimisisse penitus viris venerabilibus et discretis capitulo Constantiensis ecclesie totam partem seu portionem decime bladi seu frugum quam habebant et habere poterant in parrochia Sancti Germani de Brethevilla juxta Torlavillam, Constantiensis dyocesis, in quacumque parte seu territorio parrochie memorate cum omnibus pertinenciis decime supradicte, pro quatuor viginti libris. Super quibus ipsis, extitit a dicto capitulo plenarie satisfactum, prout confessi fuerunt coram nobis. Quas venditionem, concessionem et dimissionem dicte uxores approbarunt, voluerunt et concesserunt ; et confessi fuerunt predicti fratres, Guillelmus et uxores, dictam pecunie quantitatem in usus et utilitates proprias et necessarias ipsorum fore conversam ; tenebuntque dicti capitulum, habebunt et possidebunt decetero predictam portionem decimarum in perpetuum, sine reclamacione vel contradicione ipsorum vel heredum seu successorum eorum in contrarium facienda. Et juraverunt predicti fratres, Guillelmus et uxores predictorum Johannis, Johannis et Guillelmi, tactis sacrosanctis evangeliis, videlicet dicte uxores quod ratione dotis, dotalicii, maritagii, hereditagii seu donationis propter nuptias aliave de causa, et dicti fratres et Guillelmus occasione seu ratione alia per se vel per alium decetero contra venditionem, concessionem et dimissionem predictas non venient ullo modo nec ipsos capitulum, seu illos, vel illum cui vel quibus ipsi capitulum dictam decimam dare, elemosinare seu obligare vel dimittere voluerint decetero, molestabunt aut facient molestari, et quod in dicta decima, per se vel per alium, nichil decetero reclamabunt seu facient reclamari. Et juraverunt dicti Thomas, Guillelmus et Nicholaa, uxor ejus, quod, ratione minoris etatis et alias, non venient ullo [modo] contra premissa seu aliquam premissorum volueruntque et

concesserunt dicti fratres Guillelmus aut eorum uxores et Thomas quod, si contra venditionem, concessionem et dimissionem predictas dicto capitulo super dicta decima factas, prout in carta super hoc confecta que sigillorum ipsorum dicitur esse sigillata, venerint, seu aliquid fecerint, quod ex tunc tanquam rei perjurii puniantur, et a nobis, nulla monitione premissa, excommunicentur et quod faciamus eos excommunicatos publice nuntiari ac eos in quocumque foro omni audientia denegari ac tanquam perjuri in scalari. De super hoc et quod ad hoc jurisdictioni nostre ubicumque se transtulerint spontanee ac renunciantes exceptionibus omnibus tam juris quam facti, doli mali, crucis et fori, epistole divi Adriani et consulti Velleiani, minoris etatis, pecunie non habite, non recepte, deceptionis, ultra medium justii pretii et aliis omnibus et singulis sibi competentibus vel competituris in futurum, et specialiter exceptioni indig. feriarum propter messes. Et nos, ipsos fratres, Guillelmum et uxores, cum auctoritate maritorum suorum, presentes, volentes et consentientes ad premissa omnia et singula dictis capitulo tenenda et fideliter observanda [...] est sub sigillum curie dicti archidiaconi tenore presentium significatum ac etiam in [...], die lune post festum beati Bartholomei apostoli, de consensu dictorum fratrum Guillelmi et uxorum, cum Rogero de Tylia [...] capituli recepto quoad hoc pro eisdem anno et die supradictis.